This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lc
40
610

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Le 40.610

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

22 Nov., 1901.



Quantum intersit inter dativi possessivi usum Ciceronis et Plauti.

Scripsit
Dr. Julius J. Schunck
K. Gymnasiallehrer.

Programm

des

K. Humanist. Gymnasiums Zweibrücken

am Schlusse des Schuljahres

1899/1900.

Zweibrücken.
Buchdruckerei von August Kranzbühler.
1900.

Lc 40.610

HARVARD COLLEGE
NOV 22 1901
LIBRARY.

Salisbury fund.

De dativo quem grammatici vocant possessivo Sch[enk][1]) accuratissimo atque elegantissimo opusculo ita disputavit, ut huius generis tertii casus et natura et usus nova quadam luce et ea clariore illustraretur. Examinatis enim initio libri grammaticorum praeceptis, quorum alteri dativi poss. structura occasione partam possessionem rerum externarum, tractabilium (neque rerum animi vel corporis propriarum) indicari affirment — quo in numero sunt vulgatissimae Ellendtii-Seyffertii libri editiones priores — alteri dativum poss. ita usurpari iudicent, ut maior vis tribuatur ei, quod possidetur, quam ei, qui possidet — id quod inprimis eiusdem posteriores editiones exhibent[2]) — Sch. grammaticos ne exempla quidem, quae ad praecepta illa illustranda ac probanda proferant, de suo quemque dare docet, quippe quae ubique sint eadem et omnino paucissima, eorumque partem esse ultro a grammaticis fictam (velut 'patri domus est', 'mihi libri sunt'), partem aliunde petitam exponit atque ex libris praestantissimi illius scriptoris Ciceronis.

Huius igitur in ea re consuetudinem Sch. universa dativi poss. natura potissimum secundum Haase (Vorlesungen über lat. Sprachwissensch. Bd. II) uberius ac fusius explicata diligentissime excutit. Atque hi loci ex ipso Cicerone excerpti quantopere ab illis quae apud grammaticos circumferuntur exemplis discrepent, et quantopere illorum praeceptorum fidem imminuant, est quod nostro iure miremur; illud quibus in partibus maxime fiat, suo loco commemorabimus.

[1]) Dr. R. Schenk, Oberlehrer, De dativi possessivi usu Ciceroniano pars I. Prgr. Bergedorf bei Hamburg. 1892.

[2]) In numero sic iudicantium praeter eos quos Sch. laudat libros est etiam Holtze, syntaxis prisc. scriptt. lat. I, p. 296.

Neque vero in explorato sermone unius scriptoris, quamvis ille sit gravis et in scholis vel solus imitandus, acquiescendum esse, sed, ut vera ac propria dativi poss. natura perspiciatur, quomodo ille et apud priores et apud posteriores scriptores usurpetur, persequendum esse ipse Sch. affirmat et, ut ex omnibus scriptoribus latinis dativi poss. exempla congerantur, vehementissime optat (Sch. p. 11). Itaque nos quidem, ut ab initio repetamus, priscorum scriptorum praestantissimi in ea re usum ut hoc commentariolo scrutaremur nobis proposuimus. Circumspicientibus autem, quaenam huius operis adiumenta habeamus, nobis Peinei[1]) libellus in manus venit, in quo, quicumque apud priscos scriptores latinos occurrant, dativos congestos esse auctor in prooemio profitetur; sed de eius fide quid sit iudicandum, non sine aliqua admiratione doceberis tabula in appendice hisce foliis addita. Cum igitur illi parum confidere liceret, nos ipsos omnia Plauti volumina denuo pervestigare atque excutere necesse fuit.

Sed antequam, quae in tali opere invenimus, proferamus, dativi poss. et natura et regio explicanda nobis videtur esse atque definienda, ut, quid pertineat ad nostram disputationem, quid non, satis sit exploratum. Ea quaestio cum a Sch. tanta diligentia et subtilitate sit instituta, ut vix sit, quod opponamus, ex iis, quae in eo genere disputat, quae maxima et gravissima videntur huc ascribemus.

Propria enim tertii casus vi atque origine ita inquisita, ut ei notionem vel propositi vel loci, quem quis assecutus sit, vindicet, ad hanc disputationem illam solam dativi potestatem quadrare exponit (p. 12), qua notio (persona s. res) dativo designata ei, quod universa enuntiati sententia contineatur, aliquo modo dicatur affinis esse („Kasus der beteiligten Sphäre", Kühnast, Liv. Synt.). Esse autem notiones tali societate adiunctas aut necessarias, ita ut, nisi ponantur, enuntiati sententia manca sit, aut non necessarias, sed

[1]) H. Peine, De dativi usu apud priscos scriptores latinos, ad omnes in philosophia honores etc. Argentorati 1878.

extrinsecus quodammodo adiectas. Arctissima autem necessariaque iunctura tertium casum conexum inveniri cum notionibus quibusdam quas vocant relativis, in quibus sint verba ea, quae cui possessionem alicuius rei dari indicent, velut 'dare', 'tribuere', 'obtingere', 'obvenire', similia („Verba der Zueignung"). Structurae igitur dativi poss. cum verbo substantivo conexi id esse proprium, ut verbum substantivum 'esse' verbi illius generis vice fungatur, h. e. ut sit 'verbum addictionis' („Verbum der Zueignung"); neque minus hoc, ut illa ipsa addictionis ratione verbum subst. cum dativo necessaria iunctura coagmentetur. 'Est igitur', ait Sch. in extrema illa quam transcripsimus disputatione (p. 12), 'quod ea tantummodo quasi vera et genuina verbi subst. cum dativo poss. constructio statuatur, qua dativus aptus sit ex solo verbo substantivo per se posito.'

Dativi poss. natura et regione sic definita facile est intellectu quam diligentissime inde secernendas esse et segregandas has rationes a genuina structura poss. abhorrentes:

1. Creberrime verb. subst. cum dativo coniunctum ita occurrit, ut neque sit verbum addictionis neque per se positum, sed enuntiati copulae vim habeat, velut *Bacch. 162: Tibi ego an tu mihi séruos es?*[1]) (Similes loci: *Amph. 362, 381, Asin. 658, Capt. 223, 1011, Men. 1069, 1098, 1108, 1117, Mil. 99, Pseud. 614,* multi alii.) His locis dativum non ex verbo 'esse', sed ex nomine substantivo praedicative posito aptum esse apparet. Nonnumquam pro nomine substantivo in praedicato adiectivum invenitur: *Most. 807: Nisi tibist incómmodum.* Simillimus locus *Merc. 918/19. Cist. 587: . . . Commúne quacum id ésset sibi negótium.* Ne his quidem locis dativus ex 'esse' pendet, sed ex adiectivis illis praedicativis, quibus necessariae determinationis loco additus est. Rarius in praedicato pro nomine particula aliqua reperitur, quacum verb. subst. copulae vi praeditum sit coniunctum. Tales loci sunt hi: *Most. 227:*

[1]) Longe aliter se habet res *Capt. 580: — neque praetér se umquam ei seruós fuit* — ceterisque locis, quos v. i.

Ut fámast homini, exín sole⟨t⟩ pecúniam inuenire. Most. 868/69: Ut adhuc fuit mihi corium, esse oportet, | Sincerum. Huic generi etiam subiungendus videtur l. *Capt. 521: Nec sýcophantiís nec fucis úllum mantellum óbuiamst.*

2. Nonnumquam fit, ut verb. subst. per se quidem sit positum (neque copulae vim habeat), sed non sit verbum addictionis (namque verbo subst. praeter copulae enuntiati atque verbi addictionis vis est maxime varia); id si accidit, dativum verbo subst. additum non esse possessivum iis, quae supra de illius natura Sch. secuti disseruimus, satis apparet.

a) Crebro 'esse' idem fere significat quod 'versari', velut *Bacch. 244: ubi mist fílius? Bacch. 365: Si illí sunt uirgae rúri, at mihi tergúm domist. Pers. 709: nam ánimus iam in nauíst mihi. Pseud. 1052: Hahaé, nunc demum mi ánimus in tutó locost.* — Non multum dissimilis videtur verbi subst. significatio in frequenti illa locutione 'aliquid mihi in manu est', velut *Bacch. 144: quo éueniat dis ín manust, Amph. 80: Si illís fides est, quíbus est ea res ín manu, 564: Ístuc tibíst in manú: nam tuós sum; Merc. 628, Poen. 52, 912, Trin. 104* etc.

b) Frequentissima apud comicos est locutio 'quid tibist?' („was ist dir?", „was kommt dich an?" *Amph. 669, 727, 809, 810, Aul. 242, Cas. 632, Cist. 57, 642, Curc. 236, 309,* multis locis ceterarum comoediarum). Hac in locutione 'esse' simile aliquid declarare videtur atque 'accidere'. Eandem significationem verb. subst. habere iudicandum est his locis: *Men. 663: Quid míhi futurumst. Truc. 633: Quid míhi futurumst . . . . Most. 231: Quid illís futurumst céteris qui té amant? Most. 202: tibi idém futurum crédo. Asin. 869/70: ne ⟨ego⟩ íllum ecastor míserum habebo. — Ego istúc scio | Íta fore illi, dúmquidem cum illo núpta eris. Truc. 709: procul hinc obseruabo, m[il]e⟨i⟩s quid fortunis fuat.*

c) *Pseud. 165: Nam mi hódie natalís dies est;* eadem fere verba inveniuntur *Capt. 174, Pseud. 775,* alibi. Ne his quidem locis verb. subst. mihi videtur verbum addictionis esse,

sed id fere significare, quod compositum illud 'adesse'. Neque dissimiles iis quos modo attigimus locis sunt hi: *Poen. 255|56: Diém pulcrum et célebrem et uenústatis plénum:* | *Dignúm Veneri pól, quoi sunt Áphrodisia hódie. Truc. 819: meo illic núnc sunt capiti cómitia.* His duobus locis verbi subst. significatio vel proxime accedit ad notionem germanici vocabuli „stattfinden".

d) *Cas. 802: tibi amor pró cibost.* Hoc loco verb. subst. aequam vim habere videtur ac 'valere'. Eademque fere vis ei attribuenda sit *Poen. 1002: Me har bocca* („armer Schuft"). — *Istuc tíbi sit potius quám mihi.*

e) Cogat agmen locutio illa 'in mentem mihi est' (*Amph. 180, 710, Bacch. 130, 161,* alibi), ubi verb. subst. nihil addictionis significare perspicuum est.

Segregatis igitur his exemplorum generibus, ubi verb. subst. cum dativo sit coniunctum illo quidem, sed non cum possessivo, aggrediamur ad eos locos Plautinos, quibus genuinus dativus possessivus occurrit, proferendos simulque Plauti in hac re usum cum Tulli consuetudine comparandum. Id quo facilius possit fieri, eam quam Sch. in digerendis locis Ciceronianis instituit dispositionem eiusdemque capita ac titulos quamvis moleste nonnumquam ferentes servavimus.[1])

[1]) Eam tantummodo distinctionem, quam Sch. facit inter possessionem 'absolutam' et 'determinatam' (Sch. p. 10/11), neglegendam esse nobis visum est. Nam illud est praeceptum quidem sane pulchrum ac subtile et, quoad artem spectes, multum probabile habet; sed si ad experimentum id revoces et scriptoris locos ea ratione velis digerere, permultos invenias, qui utrum 'absolutam' an 'determinatam' possessionem contineant, nullo modo satis certe possit diiudicari. Neque persuaderi nobis potuit illam distinctionem ullius momenti esse ad dativi poss. usum.

I. Is, qui possidet, persona[1]) est.

1. Possidetur item persona, eaque

a) per se posita.

Pater: *Bacch. 162*[2]); p. maior — minor: *Amph. 484|85;* qui parentes: *Pers. 150;* filius: *Cas. 35,* gemini et trigemini ff.: *Mil. 717,* f. unicus: *Poen. 64*; filia una: *Aul. 23,* duae ff.: *Poen. 84,* ff. duae: *Stich. 539|40;* soror adulta uirgo grandis: *Trin. 374;* uxor: *Cas. 519,* uu. anus: *Most. 281;* alia sponsa locuples Lemnia: *Cist. 492;* amica nulla: *Merc. 966,* nulla a.: *Bacch. 718,* eadem a.: *Stich. 434;* is amicus: *Trin. 337;* nullus amator alius quisquam: *Cist. 369,* a. peregrinus: *Cist. 143;* hospes Antidamas: *Poen. 955;* seruos: *Capt. 580,* quidam s.: *Cas. 37,* s. quispiam: *Vid. 25,* nullus s.: *Amph. 385,* s. Surus: *Pseud. 636,* s. Sosia: *Amph. 861,* alius quisquam s. Sosia: *Amph. 400,* unus s. uiolentissumus: *Truc. 251;* libertus ullus: *Curc. 547;* qua ancilla: *Mil. 794;* ancillula: *Curc. 43|44;* duae puellae meretrices seruolae sorores: *Poen. 1094|95;* fidicina et tibicina: *Stich. 542;* discipuli pleni sanguinis: *Bacch. 153;* quis emptor: *Bacch. 976;* clientes multi: *Men. 573;* huc etiam referendi sunt ll. *Cas. 356: Plús artificumst mí quam rebar; Cist. 776|77: Gaúdeo | Tibi mea opera líberorum esse ámplius.* Nescio an sit addendus l. *Amph. 610: míhi quidem uno té plus etiamst quám uolo;* supplendum enim videtur ad 'plus' 'Sosiarum' (servorum), sed verborum ambiguitate quadam simul intellegitur 'plus offensionis quam uolo'. His pronominibus per-

[1]) Personas, quae quid possident, apud Pl. maxima ex parte pronominibus 'mihi' et 'tibi', rarius nomine aliquo substantivo denotari vix est dignum quod commemoretur et idcirco minime mirandum, quod necessitate quadam e dialogi natura emanat; in eo enim raro aliae aguntur personae atque aut ea, quae loquitur ('mihi'), aut ea, quacum illa loquitur ('tibi').

[2]) Sequebar in laudandis locis editionem Goetz-Schoellianam (Lips., Teubn.), eiusdemque editionis notas criticas ubique servabam.

sonae notantur, quae possidentur: ea: *Cas. 198;* nullus: *Pseud. 294;* quisquam: *Capt. 700.*

Non recipiendus est l. *Truc. 197: Ita paéne nulla tíbi fuit Phronésium;* nam hoc loco 'fuit' est copula, 'nulla' praedicatum enuntiati ('nullus sum' germanice: ich bin verloren), ergo 'tibi' dativus non possessivus. Eandem ob causam removendus est l. *Curc. 498: Nec uóbis auctor úllus est nec uósmet estis úlli;* copulam enim esse verb. subst. atque 'auctor' praedicativum docet enuntiationis altera pars: nec uosmet etc. Item copulae vim habet 'esse' *Asin. 434: scio míhi uicarium ésse* — nam supplendum est 'eum'.

Dubius est l. *Rud. 49: Ei erat hospes pár ⟨s⟩ui.*

Iis quos attulimus locis exempla possessionis personarum dativo poss. expressae, cum maxime rara sint apud Cic. (4 locis, v. Sch. p. 13 et 24), apud Pl. vel creberrima esse (42[1]) locis) apparet, quem potissimum possessionem personarum propinquitate cum eo, qui possidet, coniunctarum (13 ll.) et servorum (11 ll.) illa structura notare videmus.

Persona, quae possidetur, apud Cic. nonnumquam cum notionibus collectivis 'copia' et 'inopia' colligata legitur (5ies, Sch. p. 13/14), id quod apud Pl. invenitur semel: *Bacch. 563: Quíd? tibi non erát meretricum aliárum Athenis cópia . . .*

Uno loco, id quod apud Cic. numquam occurrit, apud Pl. exstat notio collectiva personas significans coniuncta cum dat. poss.: *Aul. 340: Turba ístic nulla tíbi erit.* (Cfr. *v. 342: magna turba ac familia.*)

b) Personis, quae possidentur, admixtae sunt res concretae.

Men. 59: Ei líberorum, nísi diuitiae, níl erat. — Men. 1083: Nam ét patriam et patrém commemorant páriter qui fuerint sibi. — 2 ll., totidem apud Cic. (Sch. p. 14).

[1]) Proferemus calculos non nescii, quam exigui sint momenti ad Ciceronis et Plauti, qui cum genere orationis tum circuitu voluminum maxime inter se discrepent, usum dativi poss. exacte comparandum. Tamen numeri, dummodo illam scriptorum dissimilitudinem semper respicias, non prorsus contemnendi videntur, cum et certiores et breviores sint quam verba.

2. Possidetur res concreta eaque

a) res concreta individua (germ.: „Individualkonkretum“).

Aedis: *Truc. 174;* ager: *Trin. 508;* carnaria tria grauida tegoribus: *Pseud. 198;* cera (i. e. tabella cerata): *Asin. 767;* haec crepundia: *Cist. 748;* quae domus stabilis: *Merc. 653;* fundi: *Truc. 174;* machaera: *Bacch. 887;* multa magudaris: *Rud. 633;* montes maxumi frumenti: *Pseud. 189;* quae (patria): *Pers. 636, Rud. 750, Merc. 653;* pisces: *Rud. 941;* pons: *Cas. 66;* signum (i. e. cicatrix in manu): *Poen. 1073,* id s. (i. e. torulus aureus sub petaso): *Amph. 145;* multum sirpe et lasserpicium: *Rud. 630;* surus: *fab. inc. fragm. XXI;* haec hospitalis tessera: *Poen. 1052;* ueruina: *Bacch. 887;* uirgae: *Asin. 264;* umbra: *Most. 769;* aurei trecenti nummi Philippii: *Poen. 166,* nescioquot nn. aurei lymphaticei: *Poen. 345;* medimnum mille argenti: *Stich. 587;* uiginti argenti minae: *Asin. 364.*

Possessio corporis humani partium — quibus vocabulis ubique attributum aliquod adiunctum[1]) esse videmus — structura dativi poss. denotatur his ll.: quot digiti: *Stich. 706;* (utrum) maiores buccae(ne a⟨n⟩) mammae: *Poen. 1416;* nitidiusculum caput: *Pseud. 220;* os columnatum: *Mil. 211;* dentis ferrei: *Truc. 943;* una lingua: *Curc. 495,* nulla l.: *Stich. 259;* oculi lacrumantis: *Asin. 620.* Huc etiam quadrare videtur *Rud. 1009: éxurgebo quícquid umoris tibist.*

Removendi sunt, cum nomina ‘integumentum’ et ‘mantellum’ metaphorice sint intellegenda concretorum naturâ positâ, hi ll.: *Bacch. 602: Nequam ésse oportet quoí tam íntegumentum ínprobumst; Capt. 520: Nec súbdolis mendáciis mihi úsquam mantellúmst meis.* — Corruptus est l.

[1]) Hoc nullam ob aliam causam fieri manifestum est nisi quod possessio membrorum corporis mere et absolute dicta paene inepta est, ut vix possit enuntiari.

Pseud. 189, ubi 'acerui' possideri inducuntur. — Ne hic quidem l. recipiendus videtur: *Pseud. 1068/69: Minaé uiginti sánae et saluae súnt tibi,* | *Hodié quas aps te⟨d⟩ ést stipulatus Pseúdolus* — nam 'sunt' copulam, 'sanae et s.' praedicatum esse iudicandum sit. Item hoc loco *Mil. 1397: Víde ut istic tibi sít acutus, Cário, cultér probe* — 'acutus' praedicatum, 'sit' copula esse nobis quidem videtur. — Removendus denique est l. *Rud. 822: Iam hoc Hérculi est Véneris fanum quód fuit;* 'Herculi' enim propter formam 'Veneris' et ipsum pro genitivo accipi necesse est (cfr. *Pers. 2*).

Ad calculos igitur ut revocemus rem, 36ies rerum concretarum individuarum possessionem structura dativi poss. notari, usitatissimum ergo illud videmus esse apud Pl. Quomodo autem res se habet apud Cic.? Tam raro apud hunc illam iuncturam invenit Sch., ut omnino eam esse neget (p. 15). Significat sane quidem his verbis eam tantum possessionem, quam 'absolutam' vocat; sed ne in 'determinatae' quidem possessionis genere (p. 24) plus quattuor[1]) exemplis concretorum individuorum enumerat (reliqua enim duo collectiva concreta sunt). Perraro igitur Tullium concretorum individuorum possessionem structura dativi poss. notare eorum quae Sch. congessit exemplorum paucitate satis apparet. Praesertim ea quae apud grammaticos circumferuntur exempla: 'ager', 'domus mihi est' Ciceronis testimonio plane carere Sch. (p. 14) acriter praedicat. At haec ipsa apud Pl. inveniuntur. V. *Trin. 508: Sed si haéc res grauiter cécidit stultitiá mea,* | *Philto, ést ager sub úrbe hic nobis; Truc. 174: sunt mi étiam fundi et aédis.* Quin etiam tertium illud grammaticorum exemplum a Sch. (p. 8) in ludibrium vocatum 'mihi liber est', nisi libri a Plauti personis quam alienissimi essent, fore ut apud illum legeretur ausim affirmare.

---

[1]) Quae Sch. p. 25 sub fin. scripsit: 'sexies et vicies a persona res concreta possideatur' repugnant eis, quae p. 24 legimus; quapropter, quin vocabulum 'concreta' errore irrepserit et eiciendum sit, dubium non est.

b) Possidetur res concreta collectivae notionis.

Diuitiae: *Stich. 693, Mil. 723,* d. maxumae: *Ep. 329,* summae d.: *Capt. 318,* diuitiarum adfatim: *Mil. 980;* copia (= opes): *Bacch. 393, Ep. 330;* argentum: *Pseud. 313,* quantillum argenti: *Capt. 193,* copia argenti: *Pers. 415,* contrarie *Curc. 333|34: Réspondit . . . . | Quód tibist itém sibi esse, mágnam argenti ínopiam;* pecunia: *Aul. 499;* peculi nil': *Capt. 1028,* similiter *Cas. 258: Quoí hómini hodié peculi númmus non est plúmbeus;* quantum aeris: *Curc. 372;* huc quadrare videtur etiam *Mil. 1064: Plus mi aúri millest módiorum Philippi[i];* res (sc. familiaris): *Pseud. 167,* nulla r. sua: *Stich. 200,* eodem referendum est *Curc. 600: Mágna res est. — Núllast mihi;* thensaurus: *Aul. 266;* dos: *Pers. 391,* illa d.: *Amph. 839;* lucrum amplum: *Ep. 302;* quaestus: *Rud. 291,* qu. maxumus: *Rud. 56, 541,* nil quaestus: *Pseud. 1197,* nil quaesti: *Most. 1107,* nil aliud quaesti: *Aul. 83;* praeda: *Men. 441,* nil praedae: *Pseud. 426;* uictus sempiternus: *Most. 224,* similiter *Poen. 867: Quíd est quod male sit tíbi, quoi domi sit quód edis, quod ames, ádfatim?*

Huic proximo loco subiungendum videtur, quod legimus *Trin. 761: Mihí quidem hercle nón est quod dem mútuom.* Nam 'quod dem' vim notionis collectivae habet, cui praedicative additur 'mutuom'. Eodem modo notio collectiva enuntiatione relativa exprimitur *Pers. 118|19: Memini ét scio, | Et té me orare et míhi non esse quód darem.*

His locis pronomina notione collectiva praedita legimus: *Pers. 45: Si íd* (sc. argentum) *domi esset míhi, ⟨i⟩am pollicérer, Most. 207: . . . . gaúdeo mihi níl esse huius caúsa, Rud. 1414: Níl hercle hic tibist, Curc. 495: . . . quíbus sui níl ést nisi una língua, Pseud. 83|84: Do id quód mihist: | Nam is míhi thensaurus iúgis in nostra domost* — quo loco vocabulum 'thensaurus' metaphorice usurpari moneam. (Nec tamen huc addendi videntur manci ll. *Rud. 279: Neque hóc ampliús [quam] quod uidé[n]s nobis quí⟨c⟩qua⟨m⟩st* — et *Stich. 591: sed ⟨mi⟩hi ipsi do⟨mi me⟩ae níl est.*)

Supplenda videtur aliqua notio collectiva (argentum, aurum, cfr. v. 631) *Bacch. 636*: *Si mihi sit, [non] pollicear.*

Vix dignum est quod commemoretur, quod legitur *Trin. 414/15*: *Non tibi illud apparére, si sumás, potest,* | *Nisi tu inmortale rére esse argentúm tibi* — quia hoc loco verbum substantivum copulae vim habere veri simile est.

Enumeravimus 41 locos Plautinos, quibus concreta collectiva cum verbo subst. et dativo poss. coniuncta occurrant; eiusdem generis apud Cic. exempla non plus quam 12 omnino exstant (Sch. p. 15, ubi 'satis praesidii' vix concretum iudicandum sit, et p. 24). Neque apud hunc neque apud illum ulla fere alia collectiva nisi ea, quae 'pecuniam' sive 'opes' significant, structura possessiva inveniri annotandum videtur.

3. Possidetur res abstracta.

a) Notiones rationem aliquam s. condicionem designantes.

α) Notiones locales et temporales.

'Loci' vocabulum a Cic. creberrime (28ies, v. Sch. p. 15/16 et p. 25) cum dativo poss. personam[1]) denotante coagmentatur, et id longe saepius sensu metaphorico, 6ies sensu proprio. Quam vocem apud Pl. structurâ poss. non saepius omnino reperiri miramur quam bis (semel in prologo!): *Poen. 23*: *Seruí ne obsideant, líberis ut sít locus*; *Curc. 417/18*: *Alibi te meliust quaérere hospitiúm tibi*: | *Apud mé profecto níl est Summanó loci.* Atque vocabulum proprio sensu usurpari illo quidem loco est manifestum, hoc autem veri simillimum. Itaque Sch. quod apud grammaticos desiderat (p. 9) exemplum 'locus mihi est' ne apud Pl. quidem saepius reperiat, quin immo, si eam notionem, quam apud Cic. verbum habere solet, requirat, plane frustra elaboret.[2])

[1]) 31ies cum dativo poss. rem designante (v. Sch p. 23), qua de re v. infra!

[2]) 'Locus est' (metaphorice = fieri potest) sine dativo reperitur apud Pl. (*Truc. 877*).

Tempus apud Cic. (v. Sch. p. 17) semel sensu proprio, apud Pl. bis invenitur cum dativo poss. coniunctum, sed alio quodam sensu atque apud illum, scilicet καιρόν significans: *Bacch. 772|73*: *nunc ést mihi | Adeúndi ad hominem témpus.* *Most. 714*: *Témpus nunc ést senem hunc ádloqui mihi.* Ceterum potest dubitari et de ll. Plautinis et de l. Ciceroniano, utrum verbum subst. sit verbum addictionis an eam vim habeat quam 'adesse'.

Otium: *Cas. 215, Most. 788, Truc. 432, Merc. 286*: *Dicám, si uideam tíbi esse operam aut ótium.* Idem sonat opera *Truc. 883.* Haud longe abhorrere videtur ab hoc *Pers. 585*: *sí tibi subiti níl est, tantundémst mihi.* — 6 ll. apud Pl., 3 apud Cic. (apud quem tantummodo 'otium', v. Sch. p. 17).

Mora: *Curc. 461, Mil. 1190,* ulla m.: *Men. 366,* morae quicquam: *Pers. 86.* — 4 ll. apud Pl., 1 l. apud Cic. (v. Sch. p. 17).

Spatium (metaph. = potestas), quod Cic. duobus locis ponit structura possessiva (v. Sch. p. 16/17), desideratur apud Pl. Sed hic exhibet haec, quae apud Cic. desunt, eo quadrantia verba cum dativo poss. coniuncta:

Interuallum: *Men. 104.*

Haec aetatula: *Most. 217.*

β) Notiones facultatem motionis indicantes.

'Aditus' 7ies et 'reditus' 4er cum dat. poss. coniuncta legimus apud Cic. (v. Sch. p. 17); apud Pl. neutrum vocabulum structura poss. occurrit. Ceterum huc referendum videtur Plautinum commeatus: *Mil. 143.*

Quae Sch. (p. 17/18) illis subiungit verba a Cic. dativo poss. addita

γ) latebra (semel), perfugium (bis), portus (semel, metaph.)

apud Pl. sic nusquam reperimus.

δ) Notiones posse aliquid fieri declarantes.

Facultas in dativi poss. compositione Cic. 4er (v. Sch. p. 18), Pl. nusquam exhibet.

Potestas. liberi loci p.: *Cas. 535.* Vocabulum p. cum genitivo gerundii coniunctum: *Stich. 117, 281*; intellegendus est genitivus gerundii ex verbo finito praecedente: *Merc. 63.* Corruptus est l. *Amph. 638.*

4 igitur locis Pl. 'potestas' cum dat. poss. coniungit, quorum 2 (3) locis ex 'pot.' genitivus gerundii pendet, 1 loco genitivus substantivi. Apud Cic. vero locutio 'potestas mihi est' inter omnes dativi poss. iuncturas frequentia ita eminet, ut 25ies (Sch. p. 18/19) exstet (et bis substantivi genitivus ex 'pot.' aptus est, omnibus ceteris locis gerundii genitivus), neque ulla compositio dativi poss. saepius quam ea inveniatur nisi illud 'locus mihi est' et 'causa mihi est'.

Aliena a Ciceronis elocutione sunt haec apud Pl. cum verbo subst. dativoque poss. coniuncta nomina abstracta posse aliquid fieri significantia:

Copia: *Mil. 1041,* (corruptus est l. *Ep. 325*); c. eius: *Ep. 366, Mil. 1229*; c. cum genitivo gerundii: *Capt. 852, Ep. 162,* (dubius est l. *Bacch. 487*); c. coniunctione 'qui' insequente: *Rud. 558, 392/93*; hoc copiae coniunctione 'ut' insequente: *Bacch. 422/23.*

Ea occasio: *Pers. 258*; o. cum genitivo gerundii: *Amph. fr. XV*; o. infinitivo verbi insequente: *Curc. 59/60.*

Notionis posse aliquid fieri indicantis loco exstat enuntiatum subordinatum coniunctione 'qui' inchoatum his ll.: *Men. 636*: *non míhi censebas ésse qui te ulcíscerer*; simillimi sunt ll. *Trin. 653, Capt. 581.* Eodem quadrant hi ll.: *Trin. 700*: *ne⟨c⟩ quicquam tíbi sit qui uitám colas*, *Trin. 354*: *Ís est immunis quoí nil est qui múnus fungatúr suom, Most. 992*: *Míhi, nisi ut erum métuam et curem, nil est qui tergúm tegam, Trin. 14*: *Quoniam eí qui me aleret nil uideo esse rélicui* — (eadem locutio legitur sine enuntiato subord. *Merc. 666*: *Nám mihi nil rélicui quicquam áliud iam esse intéllego*).

Praeter ea igitur vocabula, quae apud Cic. quoque occurrunt, Pl. has notiones posse aliquid fieri declarantes dativo poss. adiungit: copia (8ies), occasio (3r), enuntiatum subord. ‘qui’ incipiens (7ies).

ε) Causa.

Hoc vocabulum dativo poss. subiunctum apud Cic. occurrit 33ies (Sch. p. 19/20); locutio igitur haec ‘causa mihi est’ secundum illud ‘locus mihi est’ est creberrima apud Cic. omnium, quaecumque dativum poss. habent. Sed si, qualis Plauti in hac re usus sit, quaeras, apud hunc ne semel quidem illam locutionem[1]) emergere cum admiratione non mediocri audias.

Ceterum apud Pl. eandem fere vim atque ‘causae’ notio aliquoties habent cum dativo poss. iunctae structurae enuntiatorum subord.: *Pseud. 1256*: *hoc est homini quam ob rem uitam amet, Merc. 502*: *Quin tíbi quidem quod rídeas magis ést quam ut lamentére.*

ζ) Notiones ius potestatemque aliquid faciendi significantes.

Ex vocabulis a Sch. (p. 20) huc relatis ‘ius’ (3r apud Cic.) et ‘postliminium’ (semel apud illum) omnino non reperiuntur apud Pl. structura poss. usurpata. ‘Commercium’ (bis apud Cic.) ex 4 locis, quibus apud Pl. coniunctum cum dat. poss. invenitur, uno l. eam quam apud Cic. iuridicam vim habet: *Stich. 519*: *Púx commers quest uóbis mecum*; ceteris ll. tribus non ‘ius conveniendi’, sed mere ‘convenire’ indicat, ut vix huc addendum sit. Hi tres ll. sunt *Aul. 631*: *quid tibi mécumst commercí, senex? Bacch. 117*: *Quid tíbi commercist cúm dis damnosíssumis? Truc. 94*: *Cum e[rg]a quoque etiam mihi fuit commerciu m.*

Structura poss. etiam videtur subesse loco manco *Rud. 724/25*: *Míhi cum uostris légibus* | ⏑–⏑– *commérci* — siquidem lacunam cum nonnullis Plauti editoribus resarcias vocabulis ‘nihil est’.

[1]) In aliis nimirum iuncturis vocabulum ‘causa’ eadem significatione atque apud Cic. („Veranlassung“) praeditum apud Pl. crebro occurrit.

Huc posse adiungi videtur verbum 'imperium' apud Cic. poss. structurâ nusquam, apud Pl. duobus ll. occurrens: *Pers. 343*: *Meum opínor imperium[st] ín te, non in mé tibist, Men. 1030*: *Iubeo hércle, siquid ímperist in té mihi.*

η) Lex, mos, modus.

Lex: *Merc. 823*: *Utinám lex esset éadem quae uxorist uiro.* Etiam ceteris ll. 'eadem' additum est: *Amph. 77, Pseud. 304.*

(3 ll., 2 apud Cic., v. Sch. p. 20.)

Simile aliquid atque 'lex' sonat, quod apud Cic. structura poss. nusquam occurrit, 'disciplina' *Bacch. 421*: *Éademne erat haec dísciplina tíbi, quom tu adulescéns eras?*

Mos: *Amph. 46, Capt. 985.*

(2 ll., 2 apud Cic., v. Sch. p. 20.)

Modus: *Asin. 167*: *Quí modus dandó? Asin. 169*: *Quíd modist ductándo, amando?* Hi enim gerundii casus magis pro dativis quam pro ablativis accipiendi videntur.

(2 ll., 2 apud Cic., v. Sch. p. 20 et 25.)

b) Notiones res corporis animive proprias designantes.

α) Notiones corporis condicionem vel actionem indicantes.

Siccitas (i. e. firma valetudo): *Rud. 632*; is morbus: *Capt. 553*, quid morbi: *Men. 889.* Ceteris locis 'morbus' metaphorice usurpatur animi condicionem significans (v. i.); febris: *Mil. 720, Pseud. 643.* — Pro actione corporis est habendum: sat osculi: *Stich. 91.*

Exempla 6 Plautina enumeravimus condicionis vel actionis corporis possessionem dativo poss. indicantia; apud Cic. (v. Sch. p. 21) eiusmodi loci (excepto l. Fin. IV, 65: Hebes acies est cuipiam oculorum, v. Sch. p. 24) reperiuntur nulli. Ergo hac in re huius oratio grammaticorum praeceptis rerum

corporis propriarum possessionem dativo poss. denotari vetantibus consentire, Plauti elocutio aliquantum repugnare videtur.

β) Notiones animi condicionem vel actionem indicantes.

Animi condiciones.

Animus aequus: *Aul. 187,* idem a.: *Most. 220. Merc. 451|52*[1]): *quí scio,* | *Quíd sit ei animí, uenirene eám uelit an nón uelit? Truc. 339: Illum ín⟨h⟩iant omnes, íllist animus ómnibus.*

Ingenium utibile: *Bacch. 7,* insulsum i.: *Mil. 1071. Cist. 213: Ubi nón sum, ibist animus.* | *Ita mi ómnia sunt ingénia.* | *Quod lúbet, non lubet iam id cóntinuo.*

Neque vero licet addere l. *Bacch. 461|62: Tríduom non ínterest aetátis ut maiór siet:* | *Vérum ingenium plús triginta ánnis maiust quam álteri.* Nam dativus 'alteri' non est possessivus habendus, sed laxiore quodam usu positus pro genitivo.

Cor acre: *Bacch. 405. Most. 87|88: Ego átque in meó corde — sist quod mihi cor —* | *Eám rem uolútaui.*

Vitium maxumum: *Cas. 584, Truc. 191,* id u. maxumum: *Merc. 596,* idem u.: *Cist. 120. Amph. 402: Quod mihi praédicas uitium, íd tibist.* Eodem referendus est, quia pronominibus 'id quod' multitudo quaedam vitiorum significatur, l. *Bacch. 615: póstremo id mihist quód uolo ego [esse] aliis.*

Morbus (metaphorice dictum, v. s.): *Capt. 620|21: Séd hoc primum me expúrigare tíbi uolo, me insániam* | *Néque tenere néque mi esse ullum mórbum nisi quod séruio. Bacch. 1111: Idém mihi mórbus in péctorest.*

Incendium (metaphorice): *Asin. 919: éx amore tántumst homini incéndium.*

---

[1]) Inde solito plures locos ad verbum ascribi oportere videtur, cum in eo notionum genere, quid significent, saepissime non possit intellegi nisi ex ipso contextu et continuatione verborum.

Cordolium: *Poen. 299. Cist. 65: Át mihi cordoliúmst. — Quid? id undest tíbi cor[dolium], commemora, óbsecro.*

Multae curae exanimales: *Rud. 221.*

Auctior aegritudo: *Capt. 782.*

Huc videtur inserendus l. *Pseud. 759|60: Quícquid incertí mihi in animo príus aut ambiguóm fuit, | Núnc liquet.*

Nulla audacia: *Most. 409.*

Comitas: *Mil. 79: Mihi ad énarrandum hoc árgumentumst cómitas.*

Pudor: *Curc. 58.*

Idem 'pudor' cum nonnullis aliis notionibus animi condiciones denotantibus occurrit *Amph. 839|41: nón ego illam mihi dótem* (v. s.) *duco ésse, quae dos dícitur, | Séd pudicitiam ét pudorem et sédatum cupídinem, | Deúm metum, paréntum amorem, et cógnatum concórdiam.*

Res animi propriae etiam significantur hoc l.: *Mil. 1044: Nam uólturio plus húmani credost.* Vix est dignum quod commemoretur hoc loco uno omnium, quos afferimus, neque personam neque rem aliquid possidere, sed bestiam.

Huc quadrat etiam l. *Curc. 65|66: Iniúriu's, | Qui quód lenoni núllist, id ab eó petas.* Nam pronomine 'quod' significatur 'quicquam aequi bonique' (*v. 64*).

Unus ex compluribus ll., ubi vocabulum 'fides' structura poss. occurrit, huic generi subiungendus videtur: *Pseud. 1095: Bonán fide istuc dícis? — Unde ea sít mihi?* Ceteris enim locis illud vocabulum notione quadam obiectiva („Kredit") usurpatur, quocirca in 'res externas' (v. i.) referendum est.

Animi actiones.

Spes. (Omnes locos huc afferendos ad verbum transcribemus, ut, quomodo id quod speratur indicetur, possit perspici.) *Rud. 303: Atque út nunc nalide flúctuat mare, núlla nobis spés est. Rud. 209: Quaé mihist spés qua*

me uíuere uelím? Capt. 495: *est illic mi úna spes cenática. Pseud. 96|98*: *Quid ego ní fleam,* | *Quoi néc paratus núm-mus argentí siet* | *Neque libellai spés sit usquam géntium? Cas. 306*: *Sí non impetráuit, specula étiam in sortitúst mihi. Men. 1102*: *Spés mihist uos ínuenturum frátres ger-manós duos. Ep. 332*: . . . *aliquá tibi spes est fóre mecum fortúnam. Merc. 363*: *Néc qui rebus meís confidam, míhi ulla spes in córde certast.*

Lubido (infinitivo sequente): *Bacch. 416, Poen. 1322. Poen. 145*: *Si tíbi lubidost aút uoluptatí, sino.*

Cupido (genitivo obiectivo sequente): *Trin. 676.*

Suspicio (accusativo c. inf. sequente): *Pseud. 562.*

Certum consilium (infinitivo sequente): *Ep. 163.*

Sententia eadem: *Trin. 445.*

Error: *Merc. 347*: *tantus cúm cura meóst error ánimo.* Hoc loco ea, quae possidet, illa quidem res est, sed ipsius personae loco dicta, quamobrem l. hic erat proferendus.

His ego rebus agglutinari posse existimo duos ll., quorum altero ‘uerba’ idem fere sonare videtur atque ‘ioci’, *Capt. 471|72*: *Níl morantur iám Lacones ími subsellí uiros,* | *Plágipatidas, quíbus sunt uerba síne penu et pecúnia*; altero vox ‘quin’ quasi possessa dicitur, *Cas. 608*: *Numquám tibi hodie ‘quín’ erit plus quám mihi.* (Sermocinantes enim ambo responsiones suas breves, quae praecedunt, decies voca-bulo ‘quin’ certamine quodam inchoaverunt.)

35ies apud Pl. notiones animi condicionem indicantes, 18ies notiones animi actionem declarantes dativo poss. ad-iunctas reperimus; apud Cic. 16ies animi condiciones, 14ies animi actiones. Notiones apud Cic. structura poss. occur-rentes (condiciones: silentium, sanitas, suaviloquens iucun-ditas, quies vitae, religio, corruptela ac demutatio morum, mali nihil, beatius nihil, nihil certi, tantum offensionis (Sch. p. 21), sensus [bis], acerbitas, quid animi [bis], consilium (Sch. p. 24); actiones: actio, contentio, consolatio, solacium, excusatio [quater[1])], odium, respectus, spes [ter], studium

[1]) Hic numerus deest in ea quam Sch. p. 25 facit subductione calculorum.

(Sch. p. 21/22)) alias fere esse atque eas, quae apud Pl. reperiuntur, cum eiusmodi notionum numerus atque varietas paene immensa sit, minime est mirandum; tamen locutio ‘spes mihi est’ apud utrumque scriptorem saepius legitur. Grammaticorum autem praeceptum illud possessionem rerum animi propriarum dativo poss. indicari vetantium si Ciceronis consuetudine labefactatur, Plauti usu multo etiam magis infirmatur, quippe qui tales notiones dativo poss. vel creberrime subiungat.

γ) Notiones res abstractas non in ipsa hominum natura positas, sed externas indicantes.

Nomen. Locutionem ‘mihi nomen est Gaius’ in numero constructionum dativi poss. referri posse prorsus nobis negandum videtur. Hoc efficitur ex forma interrogativa apud Pl. usquequaque eodem modo occurrente: ‘Quid est (erat) tibi (ei) nomen?’ *(Amph. 364, Capt. 285, 983, Cist. 772/73, Men. 341, 498, 1131, Merc. 516, Most. 661*[1]*), Pers. 623*[1]*), 700*[1]*), Pseud. 636, 653, 744, 977, Rud. 1160*[2]*), 1163*[2]*), Trin. 889, 906).* In tali enim enuntiato apparet ‘nomen’ esse subiectum (nam de nomine aliquid praedicatur), ‘est’ copulam, ‘quid’ nomen praedicati, ‘tibi’ liberiore usu pro genitivo vel pronomine possessivo positum (germ.: Was ist dein Name?). Nam si ‘esse’ verbum addictionis et ‘tibi’ dativus poss. esset, formam adiectivam pronominis interrog. cum ‘nomen’ coniungi necesse esset, i. e. non ‘quid’, sed ‘quod’ esset legendum — nam formam ‘quid’ etiam esse adiectiva vi nemo sit qui affirmet — (quod est tibi nomen? welchen Namen hast du?). Idem sentit Brix (ad *Trin. 889*), qui inde concludit: „Daher ist hier in der Antwort *(P⟨r⟩áx, id est nomén mihi)* auch id subst. zu fassen, nicht id nomen zu verbinden“. Non secus iudicandum est de locis huic simillimis: id — nomen: *Pseud. 637, Stich. 239, Cist. 465;* quicquid — nomen: *Men. 811, Bacch. 5, Pseud. 639;* idem — nomen: *Men.*

[1]) His ll. unus cod. A ‘quod’ exhibet, qui v. 700 solus tradit.
[2]) His ll. dativi desiderantur.

48; istuc — nomen: *Most. 70;* hoc — nomen: *Pseud. 655;* quod — nomen (sed est ‘quod’ relativum pronomen): *Men. 1129: Áuos noster mutáuit: quod tibi nómen est, fecít mihi. Men. 42: . . . idem quod alteri nomen fuit. Trin. 906: Quíd est ei nomen? — Quód [d] edepol hominí probo.*

Pro ‘quid’ autem vel ‘id’ — ut redeamus, unde profecti sumus — si nomen ipsum (nominativo) ponitur, rem non aliter se habere perspicuum est. Velut *Mil. 86*: *Alázon Graece huic nómen est comoédiae* — ‘nomen’ est subiectum, ‘est’ copula, ‘Alazon’ nomen praedicati, dativus ‘huic com.’ genitivi vice fungitur, qui attributi loco coniungendus est cum ‘nomen’. Sed eiusmodi ll. alieni, ut diximus, a structura poss., quibus nomen ipsum nominativo indicatur, apud Pl. non plus inveniuntur quam 8 (multo enim saepius nomen ipsum dativo (v. i.) indicatur): *Mil. 86* (in prologo!), *Truc. 12* (in prologo!), *Rud. 32* (in prologo!), *Aul. 164,* addendi sunt etiam ii ll.[1]), quibus nomen non in ipsa interrogatione, sed in responsione nominativo exprimitur (et in responsione nomen crebrius nominativo quam dativo (cfr. i.) exprimitur): *Pseud. 977: Quíd est ei homini nómen? — Leno Ballio,* item *Pseud. 653, Capt. 285, Cist. 772/73.*

Longe aliter atque ii quos modo excussimus loci, illi censendi sunt, quibus nomen ipsum dativo indicatur (‘mihi nomen est Gaio’); namque eiusmodi locis nomen praedicati non potest exsistere, quoniam unum vocabulum (‘nomen’) nominativi formam habet, quod subiectum esse necesse est. Itaque ne ‘esse’ quidem copulae vim habere potest. His igitur locis structura exstat vere possessiva, in qua ‘esse’ est verbum addictionis et dativus est possessivus, quem casum nomen ipsum per attractionem quam vocant suscepit. Ea autem structura apud Pl., ut supra diximus, multo saepius invenitur quam altera illa, de qua modo disputavimus; 18ies enim nomen ipsum dativo exprimitur: *Amph. 19, 332, Asin.*

[1]) Brix (ad *Trin. 8*) eos omittit.

10, Bacch. 704, Cist. 154, Men. 297, 1068, 1096, 1107, 1122, Poen. 92, Pseud. 989/90 (ubi 'ei' supplendum), *Rud. 5, Trin. 18, 391* (supplendum 'ei'); addendi sunt ei ll., ubi in responsione nomen dativo expressum (cfr. s.) adiungitur: *Men. 1131: Quíd erat nomen nóstrae matri? — Teuximarchae.* Item *Merc. 516, Pseud. 744.*

Uno loco, et eo corrupto, occurrit 'cognomentum', cum ipsum cognomen dativo exprimatur: *Pers. 60.*

Restat, ut Ciceronis in ea re usum ita differre a Plauti commemoremus, ut apud illum nomen ipsum saepius quam dativo (4er) indicetur nominativo (7ies), quos ll. Sch. (p. 22) falso structuris poss. annumerat.[1])

Ex ceteris quae Sch. huc refert abstractis rebus 'externis' apud Cic. structura poss. occurrentibus (honos [bis], ops, ornamentum, delectatio, voluptas, fructus (Sch. p. 22/23), vita [bis], occasus, exstinctio, quies, fons [metaph.], partitio, finis (Sch. p. 24 et 25), 15 omnino ll.) apud Pl. invenimus cum dat. poss. coniunctas nullas nisi voluptas (nulla maior): *Men. 226* et honor: *Rud. 195.* Huic proximo loco subiungi potest *Trin. 694: Tíbi sit emoluméntum honoris: míhi quod obiectént siet.*

Sed reperiuntur apud Pl. plurima quae huc quadrent vocabula dativo poss. addita, quae sic iuncta aliena sunt a Ciceronis sermone:

Tanta gratia (= honos): *Capt. 280.*

Hoc pretium: *Trin. 273.*

Fides („Kredit", v. s.): *Amph. 80,* maxuma multo f.: *Aul. 667,* parua f.: *Pseud. 467, 477,* nulla f.: *Amph. 555.* (5 ll.)

Bonum (= fortuna secunda): *Rud. 504,* perpetuom b.: *Curc. 189,* quid boni?: *Merc. 471, Most. 370,* multa bona: *Truc. 117.* (5 ll.)

---

[1]) Ceterum cfr. de illius locutionis 'mihi nomen est' ratione et usu Haase (Vorlesungen II, p. 163) et quae addit Peter in notis.

Malum (= fortuna adversa): *Pseud. 183,* quid mali: *Rud. 1285. Trin. 53|54: Credo hércle te gaudére, siquid míhi malist.* — | *Omnibus amicis quód mihist cupio ésse idem.* (3 ll.)

Boni malique pars: *Trin. 1066.*

Aduorsa plura sempiterna: *Merc. 336.*

Quid miseriarum: *Ep. 526.*

Bona scaeua: *Pseud. 1138.*

Salus: *Pseud. 71.* Alia atque illo l. vocabuli significatio est his ll. (ubi salutatio denotatur): nulla s. dataria: *Pseud. 969,* sat tuae salutis: *Truc. 259.* (3 ll.)

Istuc periclum quod fuerit uobis: *Rud. 353.*

Quid auxili: *Ep. 82, Pseud. 61,* auxilia: *Ep. 677.* (3 ll.)

Suppetiae: *Ep. 677.*

Bellum: *Amph. 101, Capt. 59.* (2 ll.)

Litigium: *Men. 151.*

Nulla controuersia: *Aul. 261.*

Pax: *Most. 514, 524, Stich. 519.* (3 ll.)

Opera (= labor): *Mil. 1086.*

Haec multa: *Asin. 801.*

Huic loco subiungi videtur posse: ulmea uber uirgidemia (= verbera): *Rud. 636;* verbera etiam significantur vocibus onomatopoëticis 'tux tax': *Pers. 264,* et verbis 'quod dem' *Capt. 122: Si déderis, erit extémplo mihi quod dém tibi.* (3 ll.)

Adiungere nescio an liceat elocutionem 'mihi satis est' = „ich bin zufrieden": *Amph. 646|48: id modo si mercedis | Datur mihi, ut meus uictor uir belli clueat, satis | Mihi ésse ducam.* Similes ll. *Asin. 329, Stich. 773.* (3 ll.)

Protulimus 42 omnino ll. possessionis earum 'notionum externarum', quae cum dat. poss. coniunctae alienae sunt a Ciceronis oratione.

Seorsum ab his tractanda sunt locutio 'negotium (res) mihi est (cum aliquo)' et substantiva illa verbalia in -io exeuntia, quae Pl. crebro in interrogationibus indignationem declarantibus coniuncta cum dativo et verbo subst. exhibet (e. g. 'quid tibi hanc curatiost rem?'). Cum haec locutio sermonis vulgaris sit propria eamque ob rem etsi saepissime apud comicos, non tamen apud Cic. occurrat, illud 'mihi negotium (res) est (cum aliquo)' ne apud Cic. quidem raro legitur. Nectamen id Sch. in iis, quae de dativo poss. congessit, profert, id quod idcirco videtur fieri, quod illam structuram non esse possessivam iudicat. Sed nos eam esse possessivam cum pro explorato habeamus, hos ll. Plautinos afferri necesse esse censuimus.

Negotium: *Amph. 1035, Aul. 439, Merc. 279, 326, 328, Most. 844;* quid negoti?: *Amph. 350, Aul. 427, Ep. 499, Mil. 441, Most. 945, Trin. 1001, Truc. 281;* negoti nil: *Men. 458.*

Locis, quae sequuntur, persona addita est, cum qua cui negotium est: negotium cum . . .: locus reperitur nullus; quid negoti cum . . .?: *Cas. 97, 674, Men. 369|70, Poen. 1306;* negoti nil cum . . .: *Curc. 465.*

(19 ll. 'negotium' structura poss. exhibentes.)

Res non aliter occurrit atque addita persona, cum qua cui res est: minime mirandum, nam si nil adderetur, vox illa 'res', quippe cuius vis maxime sit multiplex, aut parum aut falso acciperetur. — Res cum . . .: *Men. 482, Trin. 219;* quid rei cum . . .? *Men. 323, 494, Poen. 1405.*

(5 ll. 'res' [= negotium] structura poss. exhibentes.)

Nonnumquam pro 'quid (nil) rei' vel 'quid (nil) negoti' tantummodo 'quid' ('nil') exstat persona, cum qua cui res est, addita: quid cum . . .?: *Curc. 688, Men. 826, Poen. 1344, Stich. 333;* nil cum . . .: *Cist. 646, Men. 648.* (6 ll.) —

Dativus substantivis illis verbalibus in -io desinentibus[1]) coniunctus utrum sit vere possessivus an non sit,

[1]) De eārum ratione v. quae commemorat Jordan (Hermes XVI, p. 257).

haud facile est ad diiudicandum; nobis quidem videtur esse, et apte comparari posse putamus illam iuncturam cum locutione quadam germanica similiter possessionem aliquam declarante: Was hast du dich um diese Sache zu kümmern? (quid tibi hanc curatiost rem?)[1]) Ceterum illa substantiva verbalia medium quasi videntur tenere inter nomen substantivum et infinitivum verbi; sunt enim substantiva, quoad formam spectes, ad infinitivi vero naturam idcirco vel proxime accedunt, quod eundem obiecti casum tolerant, quocum verbum, a quo sunt derivata, coniungi solet. Exstant autem cum verbo substantivo et dativo personae conserta in interrogationibus aut indignationem aut admirationem indicantibus, quae forma pronominis 'quid?' (was? wozu? wie?) incipiunt.

Abitio (hinc): *Rud. 503;* accessio (in consilium huc): *Trin. 709,* (ad hasce aedis): *Truc. 258;* aditio (hanc): *Truc. 622;* auscultatio (scelesto tibi): *Rud. 502;* clamitatio (malum): *Most. 6;* curatio (hanc rem): *Amph. 519,* (malum me aut quid ego agam): *Most. 34;* exitio (ex utero): *Truc. 511;* inscensio (in nauem): *Rud. 503;* interpellatio (deest obiectum): *Trin. 709;* muttitio (deest obiectum): *Amph. 519;* notio (hanc): *Truc. 623;* pultatio (ad hasce aedis): *Truc. 258;* receptio (ad te meum uirum): *Asin. 920;* reditio (huc): *Most. 377;* tactio (obiectum accusativo aliquorum pronominum expressum): *Aul. 423, 744, Cas. 406, 408, Curc. 626, Men. 1016, Poen. 1308;* uentio (huc): *Truc. 622.*

His tantum quattuor locis sequentibus illa substantiva verbalia in iis enuntiationibus exstant, quae non sint interrogativae, et desunt his ll. obiecta verborum, a quibus substantiva derivata sunt, propria:

Cautio: *Bacch. 597, Poen. 445;* his ll. ex 'cautio est' pendet enuntiatio finalis particula 'ne' incipiens; deliquio (et parentum et libertatis): *Capt. 626;* optio (ius meum optinendi): *Cas. 190.*

[1]) Similia quaedam in lingua graeca, v. Kühner-Gerth, Ausführl. Gramm. II, 1, § 411. 4, 424. 1.

28 omnino ll. enumeravimus illorum substantivorum verbalium cum dativo et verbo substantivo coniunctorum.

II. Res ea est, quae possidet.

Hoc in genere apud Cic. unam eandemque notionem possideri: locus (31ies), et ubique translate 'potestatem alicuius rei' designare Sch. (p. 23) affirmat.[1]) Quod vocabulum a Cic. omnium saepissime (omnino 59ies) cum dat. poss. coniunctum supra commemoravimus alienum esse a Plauti sermone. Sed huius usus cum in aliis partibus tum in hoc genere dativi poss. multo Cicerone liberior est et magis varius. Nam apud Pl. quaslibet notiones aliqua re possideri structura dativi poss. indicatur, neque sunt multae earum quas in parte I. instituimus notionum possessarum classes, quarum non hic quoque invenias vestigia.

Atque id alterum interest inter Plauti et Ciceronis in hac re consuetudinem, quod res, quae quid possidet, apud hunc ubique est abstracta, apud illum crebro etiam concreta.

a) Res, quae quid possidet, concreta est.

2a[2]) *Most. 763|65: Nam ille eó maiore hinc ópere sibi exemplúm petit,* | *Quia isti* (sc. exemplo [Muster] aedium) *úmbram audiuit ésse aestate pérbonam.*

3bβ) *Poen. 214|15: Neque umquam satis hac duae res ornantur,* | *Neque éis ulla ornándi satís satietás est.*

3bβ) *Pseud. 1250|51: Magnum hoc uitium uinost:* | *Pedés captat prímum, luctátor dolósust.*

3bγ) *Bacch. 953: Ílio tria fuísse audiui fáta.*

3bγ) *Bacch. 956: Pária item tria eís tribus sunt fáta nostro huic Ílio.*

3bγ) *Amph. 312: Haúd malum huic est póndus pugno.*

[1]) Sed haec in ea maxime possessione valent, quam 'absolutam' vocat Sch. In eo autem genere possessionis, quam 'determinatam' dicit, etiam 'sonum', 'vocem', 'quiddam medium', 'naturam', 'religionem', 'fontem', 'principium' (7) possidet aliqua res (v. Sch. p. 24).

[2]) Haec signa sunt eadem, quibus rerum possessarum genera in I. designata sunt.

3bγ) *Cas. 955|56: nam nullást salus | Scápulis, si domum rédeo.*

3bγ) *Asin. 315|16: Érgo mirabár quod dudum scápulae gestibánt mihi, | Hárіolari quae ócceperunt sibi esse in mundó malum.*

3bγ) *Mil. 1|2: Curáte ut splendor meó sit clipeo clárior, | Quam sólis radii esse ólim quom sudúmst solent.*

b) Res, quae possidet, abstracta est.

1a) *Mil. 955: Circumspice[to] dum, néquis nostro hic aúceps sermoní siet.*

2a) *Most. 350: Óccidit spes nóstra: nusquam stábulumst confidéntiae.*

2b) *Capt. 1036: Quí pudicitiae ésse uoltis praémium: plausúm date.*

2b) *Poen. 1190: † redde his libertatem inuictae praemium ut esse sciam pietati.*

3aα) *Pseud. 502|3: Quia ⟨i⟩llúd malum aderat, ístuc aberat lóngius: | Illúd erat praesens, huíc era⟨n⟩t diéculae.*

3aα) *Mil. 763|64: Haud centésuma⟨m⟩ | Pártem dixi atque, ótium rei sí s[t]it, possum exprómere.*

3bβ) *Pseud. 111: In té nunc omnes spés sunt aetatí meae.*

3bγ) *Capt. 893|94: Póstremo, Hegió, si parua iúri iurandóst fides, | Vise ad portum.*

3bγ) *Merc. 378: Sáluos sum, siquidem ísti dicto sólida et perpetuást fides.*

3bγ) *Cist. 502: Ábi, quaere, ubi iurí iurando tuó sit satias súbsidi.*

3bγ) *Men. 13: Huic árgumento antélogium hoc fuit ⟨ínterim⟩.*

Capt. 522|23: Neque déprecatió perfidiis meís nec malefactís fugast, | Nec cónfidentiae úsquam hospitiumst néc deuorticulúm dolis.

24ies res ea est, quam possidere aliquid Pl. dativo poss. declarat, atque 9ies res concreta, 15ies res abstracta.

Exhibitis iam omnibus quaecumque apud Pl. inveniuntur exemplis dativi poss. comparatisque cum Tullianis denique huius contentionis summam breviter astringemus.

1. Apparet primum quidem apud Pl. multo frequentiorem esse quam apud Cic. usum dativi poss.; qui apud illum 373ies vel (si locutionem 'negotium (res) mihi est' et substantiva verbalia in -io exeuntia, v. s., neglegimus) **315ies**, apud hunc **239ies** occurrit. Atque quamvis caute eiusmodi comparationes sint faciendae, tamen Plautum, quippe cuius volumina multo minora et pauciora sint quam Ciceronis, dativum poss. longe crebrius usurpare quam Tullium nullo modo potest negari.[1])

2. Est autem Plautinus dativi poss. usus non solum frequentior quam Ciceronianus, sed etiam in multis rebus ab hoc diversus.

a) Personarum possessionem Cic. rarissime structura dativi poss. indicat (4er ex 239 exemplis dativi poss. = **1,7 %** omnium exemplorum), Pl. vero creberrime (43ies[2]) ex 315 exemplis dativi poss. = **13,7 %** omnium exemplorum).

b) Simillima est ratio concretorum individuorum, quae coniuncta cum dat. poss. apud Cic. numquam fere (omnino 4er = **1,7 %** omn. ex.) occurrere Sch. cum maxima nostra admiratione docet. Etiam in hac re Plauti usus est longe diversus: namque hic concreta individua dativo poss. addit saepissime (38ies[2]) = **12,1 %** omn. ex.).

c) Paulo quidem aequabilior, sed nequaquam congruens est utriusque scriptoris consuetudo in concretorum collectivorum cum dat. poss. compositione; quae apud Cic.

---

[1]) Accedit, quod Cic. magis quam Pl. easdem locutiones saepissime iterat; quod in quibus maxime fiat, in extremo hoc opusculo retractabimus. Neque tamen in subducendis calculis singulae earundem locutionum series pro singulis locutionibus numerandae sunt, quoniam in tali computatione, quam crebro unaquaeque locutio occurrat, id quod maximi momenti est, neglegitur; atque hoc altero refellitur illa ratio, quod unius eiusdemque vocabuli usurpatio et iunctura singulis ll. tam varia esse solet, ut illos in unum conicere minime liceat.

[2]) Hic numerus compositus est ex praecedentibus I. et II. partibus.

aliquanto rarius (12ies = **5,0 %** omn. ex.) reperitur quam apud Pl. (43ies[1]) = **13,7 %** omn. ex.).

d) Ex iis quos modo protulimus calculis et Ciceronem et Plautum plura abstracta quam concreta[2]) cum dat. poss. coniungere efficitur. Tamen hic multo minus quam ille etiam concreta dativo poss. addere dubitat. Nam apud Cic. quidem in 212 abstracta 27 concreta cadunt, i. e. **88,7 %** omn. ex. sunt abstracta, apud Pl. vero cadunt in 187[1]) abstracta 128[1]) concreta, i. e. **59,4 %** omn. ex. abstracta sunt.

Harum tantarum dissimilitudinum causam atque originem inquisituris nobis obstat, quod praeter Ciceronem nullius adhuc scriptoris in illa re usus est satis exploratus. Itaque quid universi sermonis latini naturae atque incrementis, quae nisi ex omnium deinceps scriptorum libris accurate cognosci non possunt, quid singulari et propriae Tulli ac Plauti consuetudini tribuendum sit, plane ignoramus. Eorum autem potissimum scriptorum, qui inter Pl. et Cic. quasi in medio sunt, Terenti[3]), Lucreti, Varronis inprimis, usum explorasse maximi ad nostram disputationem momenti sit. Sed quoniam eiusmodi studia adhuc desiderantur, ea, quae iam prolaturi sumus, non poterimus statuere nisi suspicionis et coniecturae nomine.

Videtur autem locutio 'res est mihi' sermonis vulgaris s. plebei et sermonis cotidiani maxime esse propria. Habet enim illa et aliquid rude inchoatumque, quod in sermonem indoctorum hominum videtur convenire, et vagum aliquid parumque accuratum, id quod cotidiani sermonis proprium sit putandum. Namque primum quidem in illa locutione simpliciter 'esse' aliquid statuitur ('res est'), pro appen-

[1]) Hic numerus compositus est ex praecedentibus I. et II. partibus.

[2]) In hac omnium nominum bipartitione etiam personae in concretorum numero referuntur.

[3]) Huius quidem in illa re usum cum secundum Peinei illud dubiae fidei opus excuteremus, a Plautino haud longe differre videri invenimus.

dice autem quasi adicitur illud ‘esse’ tantummodo in certam quandam personam dativo designatam (‘mihi’) cadere. Quanto illa subtilior simulque brevior est locutio ‘habeo rem’. In hac enim id, quod in illa duabus significatur notionibus (‘mihi’ et ‘est’), in unam tamquam coartatur et comprimitur. Hoc si reputaveris, illud ‘habeo rem’ doctorum hominum versatiliori ingenio sermonique politiori magis accommodatum esse credas quam structuram dativi poss.[1])

Fac igitur dativi poss. structuram vulgaris et cotidiani maxime sermonis esse propriam, quid mirum, si illam Plautus, qui et in eam inciderit aetatem, qua lingua latina ex hominum ore in libros transferri vix coepta esset, et, cum comoedias conscripserit, plebeium potissimum et cotidianum sermonem exhibeat, saepius usurpat quam Tullius? Qui cum et eo tempore fuerit, quo lingua latina a viris doctis ad elegantiorem normam iam esset directa, et ipse eam ultro excolere ac perpolire studuerit et tales sibi sumpserit librorum materias, quales ab humiliore dicendi genere fere abhorreant, consentaneum est apud eum vulgarem illam dativi poss. structuram verbis ‘habendi’ et ‘possidendi’ frequentiâ concedere.[2])

Ac ne illud quidem neglegendum, quibus in partibus dativi poss. usum Cic. praecipue fugerit. In concretis

[1]) Similem quandam nostri sermonis consuetudinem ea, quae diximus, comprobantem afferre haud abs re videtur esse. In nonnullis enim patriae nostrae pagis (veluti in eo, ubi haec scripsi, Palatinatu Rheni dico) sermo vulgaris eandem de qua disserimus locutionem habet (e. g. „Das Haus ist dem Vater“) — quae a politiore quaque in scriptis utuntur oratione aliena est. — Cfr. etiam O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der römischen Umgangssprache, Kiel, 1883, p. 32: . . . viele andere Wendungen liessen erkennen, dass im ungekünstelten Umgangston die lateinische Sprache eine auffallende Aehnlichkeit mit Erscheinungen aus unserer Volkssprache zeigt.

[2]) De ‘habendi’ et ‘possidendi’ apud Cic. pro dativo poss. cum concretis usu v. G. Landgraf, Litteraturnachweise und Bemerkungen zu seiner lat. Schulgramm., 3. Aufl., Bamberg 1894, S. 29 f. — Plauti locos, quibus verba ‘habendi’ et ‘possidendi’ occurrunt, nos quidem collegimus, sed iam nunc proferre temporis et spatii huic opusculo concessi exiguitate prohibemur.

enim (in quibus etiam personas numeramus) possessis id fieri invenimus (v. s.). Manifestam ergo possessionem („realer Besitz") certiore et subtiliore verbo 'habendi' melius denotari[1]) quam vaga illa dativi poss. structura Ciceroni visum esse[2]) veri simile est; quam vix usurpat nisi in abstractis, quippe quae possessione aeque vera ac manifesta teneri non possint. Eorum vero, quibus res concretas dativo poss. Tullius subiungit, locorum dimidia pars (v. Sch. p. 15) invenitur in epistulis et in prima illa oratione pro Quinctio habita. Et egregie hoc cum eo convenit, quod locutionem 'res mihi est' sermonis vulgaris et cotidiani maxime propriam esse suspicati sumus. Nam et in epistulis Tullium ut quemvis scriptorem humiliore et cotidiano quodam genere dicendi saepissime usum esse constat[3]), et in illa oratione, qua, ut ita dicam, tirocinium posuit, plurimum inesse rude ac vulgare viri doctissimi[4]) satis comprobaverunt.[5])

Denique ea, quae de structurae dativi poss. origine et natura coniecimus, a vero haud multum aberrare hac quoque re probari videtur. Animadvertitur enim in exploranda cuiusvis linguae — et vel maxime nostrae germanicae — historia partes sermonis vulgaris tum facillime in politiorem cul-

[1]) V. Landgraf, l. c.

[2]) Ille quantopere personarum possessionem dativo poss. indicare gravetur, ex eo cernimus, quod eiusmodi structuras ita vertere solet, ut notio personam significans ex notione abstracta pendeat ('amicorum copia', 'reorum inopia' mihi est, Sch. p. 13/14); protegit igitur tamquam munitque concretum abstracto. Atque haec ratio saepius (5ies) occurrit, quam persona sola per se posita cum dat. poss. coniungitur (4cr).

[3]) V. potissimum Landgraf, Bemerkungen zum sermo cotidianus in den Briefen Cic.s, Bl. f. d. bayer. Gymn.-Schulw., Bd. 16, S. 274, 317, ubi conspectus invenitur librorum huc pertinentium.

[4]) V. E. Wölfflin, Bemerkungen über das Vulgärlatein, Philologus 34, p. 142 ff. Ceteri libri laudantur apud Teuffel, Gesch. d. röm. Litt., p. 320.

[5]) Cfr. quae dicit Rebling, l. c., p. 16: Für uns ergibt sich daraus, dass wir solche Ausdrücke, welche sich in den ältesten Zeiten finden und häufig finden, in der klassischen und der ihr nahestehenden Zeit aber besonders da, wo der sermo cotidianus erklärlich und natürlich ist, dagegen kein Grund zur Annahme gesuchter Altertümelei vorliegt, den Besonderheiten der Umgangssprache beizählen müssen.

tioremque orationem irrepere et tum firmissime ei inhaerere, si locutionibus tritis quibusdam et constantibus („stehenden Redensarten") tamquam intextae sunt. Dativi poss. igitur structura, ut est omnino rara apud Cic., si potissimum in eiusmodi locutionibus occurrat, hoc nobis sit si non argumentum, at certe indicium suspicionem illam ad verum vel proxime accedere. Et reperitur apud Cic. sic maxime, ut diximus, structura possessiva. Nam illam locutionem 'locus mihi est' apud eum commemoravimus omnino occurrere 59ies, h. s. 24,7 % omnium dativi poss. exemplorum; item 'potestas mihi est' 25ies, h. s. 10,5 % omn. ex., et 'causa mihi est' 33ies, h. s. 13,8 % omn. ex. Ergo hae tres locutiones definitae et constantes omnium quaecumque apud Cic. leguntur exemplorum dativi poss. dimidiam partem (49 %) explent.[1])

Ad extremum nobis dolendum videtur, quod profligare hanc quaestionem et certo iudicio solvere, cum ceterorum scriptorum sermonis in illa re consuetudo, ut supra diximus, nondum sit investigata, in praesens vetamur; ceterum suffragamur Sch. dicenti (p. 11): '. . . . . fieri non potuit, quin, ut tandem aliquando omnium quaecunque apud scriptores latinos inveniuntur exemplorum copia nobis suppeditaret, vel vehementissime optaremus.'

[1]) Cfr. Rebling, l. c., p. 10: Wir . . . dürfen vielleicht manche Wendungen, welche auch in mustergültigen Schriften vorkommen, als nicht recht heimisch daselbst der Umgangssprache als ihrer eigentlichen Heimat vindicieren. Wir finden nämlich einige Construktionen und Worte in den an Umfang viel geringeren Schriften, welche sich der Volkssprache nähern, verhältnissmässig häufig, und in den mannigfachsten Combinationen wieder, während dieselben in der gesammten überlieferten klassischen Literatur nur sehr spärlich, und auch dann meist in gleichen Verbindungen, also formelhaft, auftreten.

Appendix (v. p. 4).

	Peine adnotat dativi poss.[1]) locos Plautinos hos:	Praeter illos ego inveni dativi poss. locos Plautinos hos a P. omissos:
Amph.	19, 332, 610, 839, 1035, 350, 519, 385, 400, 80, 46, 76, 101, 145, 484, 312, 648 (17 ll.)	402, 555, 638, 861, XV, 1106 (6 ll.)
Asin.	264, 920, 316, 801, 767, 57, 364, 919, 329 (9 ll.)	10, 620 (2 ll.)
Aul.	83. 261, 266, 427, 340, 423, 439, 498, 631, 23 (10 ll.)	187, 667, 744 (3 ll.)
Bacch.	153, 393, 487, 597, 772, 117, 162, 421, 422, 563, 887, 462, 602, 956, 976, 718 (16 ll.)	7, 405, 416, 615, 704, 953, 1111 (7 ll.)
Capt.	193, 626, 122, 495, 520, 553, 621, 581, 852, 580, 1028, 471, 58, 318, 985, 59, 700 (17 ll.)	280, 522 sq., 782, 893, 1036 (5 ll.)

[1]) Peine (p. 8; **p. 21 sqq.**; p. 79 sqq.; p. 86; p. 87 sqq., potissimum sub 'satis') dativos poss. commixtos cum aliis dativis profert: quo ex numero ego nullos nisi possessivos dativos, sed eos omnes, hic adnotabo. — Versuum numeri sunt editionis Goetz-Schoellianae.

	Loci a P. adnotati:	Loci a P. omissi:
Cas.	190, 215, 306, 356, 608, 97, 198, 215, 406, 408, 584, 608, 674, 35, 37, 66, 519, 258, 535 (19 ll.)	956 (1 l.)
Cist.	154, 213, 65, 646, 748, 777, 143 (7 ll.)	120, 369, 492, 502 (4 ll.)
Curc.	372, 461, 465, 547, 600, 688, 334, 626, 43, 59, 495, 58, 66, 189 (14 ll.)	418 (1 l.)
Ep.	677, 82, 162, 329, 332, 356, 499, 302, 526, 163 (10 ll.)	325, 330 (2 ll.)
Men.	104, 482, 636, 648, 826, 1102, 1122, 151, 323, 366, 369, 494, 1107, 573, 1083, 59, 889, 441, 1016, 458, 226, 1117 (22 ll.)	297, 1030, 1068, 1096 (4 ll.)
Merc.	280, 326, 328, 471, 286, 502, 63, 452, 596, 454, 966 (11 ll.)	336, 347, 363, 378, 653, 823 (6 ll.)
Mil.	79, 1064, 1086, 1229, 441, 717, 1071, 720, 1041, 955 (10 ll.)	1, 143, 211, 723, 764, 794, 980, 1044, 1190 (9 ll.)

	Loci a P. adnotati:	Loci a P. omissi:
Most.	87, 207, 220, 370, 514, 714, 769, 844, 992, 6. 34, 217, 1107, 377, 231, 409, 788, 224 (18 ll.)	281, 350, 524, 764, 945 (5 ll.)
Pers.	45, 119, 258, 415, 585, 636, 343, 150, 391 (9 ll.)	60, 86, 264 (3 ll.)
Poen.	345, 445, 955, 1052, 145, 165, 298, 1306, 1308, 1322, 1344, 1405, 64, 1094, 1416, 83 (16 ll.)	23, 92, 215, 867, 1073, 1190 (6 ll.)
Pseud.	61, 83, 167, 183, 199, 304, 562, 969, 1095, 294, 313, 643, 503, 477, 1197, 1256 (16 ll.)	71, 84, 97, 111, 189, 426, 467, 759, 1138, 1250 (10 ll.)
Rud.	209, 502, 504, 724, 941, 557, 630, 632, 633, 636, 1009, 49, 541, 279, 303, 353, 291, 56, 750, 1285, 221 (21 ll.)	5, 195, 392, 1414 (4 ll.)
Stich.	240, 260, 281, 333, 519, 117, 200, 693, 542, 434 (10 ll.)	91, 539, 587, 591, 706, 773 (6 ll.)

	Loci a P. adnotati:	Loci a P. omissi:
Trin.	53, 54, 444, 761, 653, 694, 700, 709, 1066, 374, 1001, 508, 337 (13 ll.)	14, 18, 219, 273, 354, 676 (6 ll.)
Truc.	94, 883, 258, 281, 433, 622, 251, 511, 191, 117, 943, 339, 259 (13 ll.)	174, 623, 903 (3 ll.)
Vid.	nullus locus	25 (1 l.)
fragm. inc.	nullus locus	25 (1 l.)
	Summa loc. a P. adnot. **278**	Summa loc. a P. omiss. **95**

Quartam igitur fere partem omnium qui apud Pl inveniuntur dativorum poss. P. in nulla parte opusculi sui, ne alio quidem nomine vel titulo, profert. At vero ille, quicumque apud priscos scriptores occurrant, se conlaturum esse dativos lectoribus in prooemio fidem facit. Sed quid ego plura addam? 'Numeri loquuntur.'

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 (617) 495-2413

WIDENER
MAY 18 1998
SEP 1 0 1998
BOOK DUE
CANCELLED

2044 004 609 350